

12. *Etsi verò quoad hanc postremam peccati causam haud ita procul à vero sunt alieni, rem tamen prorsus imperfectè explicarunt, & veras ac primas malorum causas rationis suæ indagine nunquam sunt assecuti: ignorant es nimirum & lapsus Adamici, & inde enata corruptionis qualitatem, quæ ex sola doctrina Ecclesiæ propria cognosci potest.*

13. *Hujus igitur præscriptum secuta nostra Ecclesiæ, de causa peccati docent, quòd tametsi Deus creat & conservat naturam, causa tamen peccati sit voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo avertit se à Deo, sicut Christus ait, Ioh. 8, 44. Cum loquitur mendacium ex seipso loquitur.*

14. *Ex hac generali Confessione quoad remotionem falsæ cause illud elicitur, quod Deus non est autor vel causa peccati; qui Aphorismus adeò est ἀυτόπιστος, & indubitatus: imò omnium hominum nature ita quasi ingeneratus; ut id ipsum saniores etiam Philosophi fidenter asseverent.*

15. *Notum est, quid Plato olim sanciverit, nempe omni studio providendum esse, nequis in civitate, quæ benè regi debeat, vel dicat, vel audiat, sive in poemate, sive in alia narratione, Deum causam alicui esse malorum: Siquidem hoc neque sanctè ita dici possit, neque utile sit civitati, neque secum in explicatione consentiat.*

Pec-